DE

ANTHELMINTICIS

BREVI MORBI VERMINOSI EXPOSITIONE PRAEMISSA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
CALENDIS OCTOBRIBUS A. MDCCCXXXI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
MARCUS BASCHWITIUS
MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

FR. JAC. BEHREND, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
RUDOLPHO STEINBRÜCK, MED. ET CHIR. DR.
RUDOLPHO GOTSCH, THEOL. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

VIRO

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO SUMMEQUE REVERENDO

FR. HUFELAND,

MED. ET CHIR. DOCTOR. MED. PROF. PUBL. ORDIN. DECANO A. H. AMPLISSIMO.

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Etsi paucas hasce pagellas anxius et invitus, qui tiro sim, in lucem edidi, ab eorum, qui scribendi cupidine flagrant, juvenum more alienus, et immatura tantummodo me retulisse multumque peccasse mihi conscius sum, indulgentiae tamen fiducia me, compilationis mechanicae crimine infontem, consolatur atque erigit. Nec vero nova conscripsi sed in rerum causas arctius inquirenti longe alia mihi de anthelminticis disserendi ratio probabilior visa est. Hactenus igitur a more recessi, cetera aliunde hausta ingenue confiteor. Quamquam temporum augustiae et perturbationes a librorum necessariorum usu me prohibuerunt, et omnem ad Biblio-

thecas aditum praecluserunt, Raimann, Richter, Voigt, quorum equidem opera possideam, consului. Quid itaque mirum, quod multa desiderabuntur, multa manca et falsa reperientur! At quid refert! Mehercle, ut discam, non ut doceam, scripsi. Ergo fave et indulge, Lector benevole, et vale!

I.

De Anthelminticis brevi morbi Verminosi expositione praemissa.

Si quid recti vidi, gaudeo; sin minus, fac melius!
Augustin.

Morbum, cujus principalis in tubo intestinali sedes, et cujus cognitio non semper in aprico, sed molesta saepe medicorum crux est, describere a studiosi officio non abhorret. Neque enim symptomatum gravitate solummodo, sed frequentia atque malignitate adeo insignitur. Quoniam autem vermes, qui quidem passim cuivis fere homini insint, hunc statum morbosum constituunt, de eorum origine et praesentia pauca in universum praemittantur.

Origo semper morbosa, et eorum numerus, quo copiosior, eo majora organismo damna minatur. Nascuntur autem ex aegra chyli conditione. Etenim licet integre quidem et ad normam compositus, eo quod in succos nutrientes abit, organorum nutrimento et saluti inserviat, male tamen paratus corpus victu necessario paullatim privat, et sic enervat, dum vi plastica duce in Vegetationem abnormem interim inclinat. Haec ipsa autem vermium procreationem

fovet, et pituitae abundantiam, unde morbum verminosum inter chylificationem abnormem et statum pituitosum medium tenere veritati non absimile mihi videtur. Chylificatio enim ex digestione pendet, et una cum ea laeditur. His autem laesis functio simul glandularum et tunicarum mucosarum tubi impugnatur; mucum enim abnormem et abunde secernit. Statuendum tamen est discrimen. Nam aetas infantilis, quae aequali organorum singulorum confirmatione eget, iisque rite excolendis insignem ideo operam navat, energiam qua gaudet, omnesque facultates systemati chylopoëtico solum debet. Hujus functio et vis vitalis praevalet et tanquam imperat; quod si impugnatur et debilitatur, subito singulae corporis partes, cum propria vi destitutae resistere plane nequeant, corruendi periculum subeunt. Alia autem de adultis. Nam etiamsi horum quoque chylus summae corporis saluti inserviat, tamen singula systemata jam perfecte exculta et aequaliter confirmata invicem sibi succurrunt, simulatque impugnantur, nec nisi victa adversario cedunt. Haec causa, cur morbus verminosus aetati infantili frequentior et damnosior.

Jam vero singulas virorum doctorum sententias brevibus recenseamus. Brown ejusque sectatores causam vermium debilitati intestinorum tribuunt, ideoque irritandi et roborandi methodum in usum vocandam, alii, ex quibus Lange, plurima phaenomena pathologica a vermium praesentia prodire judicaverunt. Linné, van Doevern, Darvin eos ciborum tantum usu gigni censebant; at injuria, quum

embryonibus etiam cerebro aliisque organis imperviis insint. Nil igitur aliud restat, quod eorum originem probet, quam generatio aequivoca seu formatio primitiva Bremseri, Rush denique non male eos tanquam salubri functionis tubi intestinalis irritamento inservire, motumque peristalticum augere arbitratus est. Limitanda tamen est haecce utilitas, quippe quam nec morbus verminosus nec profecto taenia afferre valeant. Neque vero Browni judicium a veritate tantopere abhorret. At, etsi sane debilitas quidem, longe tamen aliae quoque causae procul dubio incusandae sunt. Etenim, cum causa morbi proxima in vitiosa systematis chylopoetici conditione nitatur, ex fontibus chyli abnormis variis variae etiam rationes pendent. Aut enim chylificatio, ut Brown statuit, debilitata, aut chyli copia abnormiter, aut abunde secreta, aut plura simul vitia conveniunt. Hinc tam distincta inter statum pituitosum, verminosum, et scrophulosum denique affinitas. Saepe vero etiam dispositionem seu congenitam seu hereditariam, causam epidemicam vel endemicam ad vermium et inprimis taeniae natum plurimum conferre, quam maxime computandum est.

Symptomatologia.

Vermes intestinales, cum symptomatum pathognomonicorum seriem comprehendunt, tum demum morbum produnt. Symptomata autem idiopathica sunt haec fere:

Dolor sugens, erodens vellicans aegrorum tubum intestinalem acerbe vexat, ciborum usus inaequalis

aut ex fastidio, quod nocte potius ingruente, aut ex abnormi desiderio, quod mane potissimum insequitur, et ex bulimo adeo facile patet; Lingua muco tecta, sitis vehemens; aeger victum carnosum negligit, farinosum avidus devorat. Fames quidem vermium vitam enervans paroxysmos ciere solet, coena contra tollit. Quae vermes alunt et delectant, ut lactea, his decrescunt, quae, ut acria, eos exstinguunt, his ingravescunt dolores. Frequens salivae profluvium, pyrosis, foetida porro exspiratio, gingivae squalor, cardialgia et colica verminosa, vomitus, meteorismus, flatulentia, obstructio et diarrhoea cum tenesmo complicata alternatim se excipiunt. Neque pruritus vero ad anum et genitalia, nec alvus adstricta desiderantur; faeces autem muco velatae, vermiumque excretio, utraque certissima signa, diagnosin stabiliunt. Neque periodicum symptomatum incrementum saepe ex Lunae varietate pendens negligendum est.

Ex symptomatibus sympathicis autem haec maxime mentione digna:

Cephalalgia, coryza, rhinalgia, Atrophia, sternutatio repetita, insignis pupillae dilatatio, inferior oculi orbiculus inprimis mane livide tinctus, oculorum lumen saepe squalidum, genarum rubor et pallor vicissim se excipiunt, labia pallida. Nec vero desunt horripilatio quoquo versus extensa, nec urinae serosae vel lacteae exeretio, nec cordis palpitatio et anxietas denique pectoris. Praeterea sputa foetida, tussis, dyspnoea, asthma saepe animadvertuntur. Accedunt dolores in regione lumbali trahentes, pulsus inaequalis et irregularis, vertigo, sudores spontanei, febris

verminosa, quae rarius intermittit, animi morositas, vitae taedium, stupor, rixandi cupido, lassitudo, Nec raro pavor in somno, motus spastici, Nystagmus, Blepharospasmus, impetus epileptici stridor dentium, deliria subitanea, amaurosis, extremitatum inferiorum paralysis, animi deliquia aegrotum perturbant. Haec de symptomatibes, jam de singulis vermibus pauca addenda.

A s c a r i s lumbricoides s. Lumbricus intestinalis s. Lumbricus teres jam Hippocratis aevo cognitus auditin lingua vernacula Spulwurm. Ad Nematoidea refertur, et frequens in tubo reperitur, maxime in intestinis infantum atque uxorum tenuibus. Morbi letales alio eum abigunt, ita ut, simulac perniciem praesentiat, sponte aut per ventriculum et os aut per anum evadat. Hinc fit ut eorum exitus spontaneus malam morbi prognosin statuat, vitaeque periculum minetur. Frequentissime complures in unam molem coacti inveniuntur. Quamquam tormina ventris circa regionem umbilicalem repentina eorum praesentiam portendere sunt, qui affirment, Rudolphi tamen negat, neque eos tubi parietes, quia organis necessariis carent, perforare experientia virorum doctorum probavit. Eorum formam et organa quae Bremser et Rudolphi egregie exposuere silentio praetereamus, quia adversa temporis conditio ita suadet.

A s c a r i s v e r m i c u l a r i s Bl., Ascaris Pollicaris L. Springwurm, Askaride, pariter Nematoideis adnumeratus in recto et colo habitare solet. Interdum vero etiam mulierum inprimis genitalia intrat, et sic

facilem onaniae ansam largitur. Alibi rarius reperitur. Mas, quem Soemmring princeps cognovit, minor. Una cum faecibus excretus motu salienti insignis redditur. Alvum maligne torquet et cruciat, acerbumque ad anum pruritum excitare valet; insessus iterum atque iterum repeti jubet, tenesmo insuper accedente. Versus vesperam vehementius aegrum vexat.

Taenia (Bandwurm). Cestoideorum ordini adscribitur, et duas in species, quarum una lata, altera solium audit, distinguitur.

T. solium, seu, uti ex forma vocatur, cucurbitina in Germania quidem, Anglia et Oriente sola per se, in Gallia autem promiscue cum taenia altera reperitur. Articuli ejus longiores, sed minus lati.

Taenia lata s. Bothriocephalus latus latis et brevibus articulis instructus in Helvetia, Russia, Polonia vulgaris et endemica reperitur; contra in Germania, Hollandia et Anglia rarissime occurrit. Signa, quae ejus in tubo intestinali sedem portendunt, haec fere sunt:

Aeger motum in regione plerumque umbilicali undosum, vino, acidis, amaris ingestis ingravescentem, graviditatis signis, haud ita absimilem incusat, sensus sugens, dolor pungens, et vellicans, rotatio vehementer vexant et pondus in tubo haerere videtur. Accedunt Meteorismus, flatulentia, cephalalgia, vertigo, ptylaismus verminosus, colica, animi deliquia, vomitus, epilepsia, choraea, hysteria, hypochondria et alia graviora, symptomata supra jam exposita. Saepe diagnosis difficillima, quia saepe hostis in latebris

latet, et symptomata fallunt; unde sagacissimus medicus insidias vix evitat. Habitus, et dispositio, aetas et causae occasionales quamquam plurimum faciunt ad veritatem eruendam, articulorum tamen excretio unicum et certissimum indicium.

Aetiologia.

Quodsi causam proximam spectamus, chylificationi vitiosae, quae varia esse potest, eam attribuendam esse jam initio mentio facta. Unde causae occasionales, quae noxios in systema chylopoeticum effectus edere valent, haec omnia comprehendunt. Hinc immundities, prava diaeta, ciborum farinosorum et facile putrescentium abusus, domicilia humida, atmosphaera foetida chylificationi nocent, et digestionis vim debilitant. Id in infantes maxime valet. Verum etiam vitae ratio luxuriosa, quod chylum corporis nutrimento supervacaneum largitur, occasionem offert; unde robustorum corpori vermes inesse experientia docuit. Frequens etiam vero causa alienatio nervorum maxime gangliorum seu hysterica, seu hypochondrica, seu materialis seu immaterialis. Dispositio denique hereditaria, congenita et acquisita (maxime autem per morbum scrophulosum, et pituitosum acquiritur) constitutio annua verminosa quae morbis interim grassantibus formam suam propriam distincte impraegnat, causae epidemicae et endemicae plurimum ad vermium natum conferunt.

Prognosis.

Quamquam morbus per se non letalis, saepe ta-

men epilepsiae, choraeae, tetano, trismo, paralysi, aphoniae, amaurosi, apoplexiae denique originem tribuit, eo autem discrimine, ut haec phaenomena characterem morbi verminosi periodicum retineant, et facilius sanentur, quam si causa longe alia. Complicatio autem saepe rem pejerat. Quod ad verminationem infantum, ejus cura negligi non debet. Quod si fit, facile cum rhachitide, scrophulosi aut hydrocephalo complicatur. Semper cura diuturna et molesta atque male instituta egregiam ad morbos nervosos et cachecticos dispositionem statuit. Excretio vermium certiorem salutis spem admittit.

II.

Altera de anthelminticis Sectio.

Curae ratio.

Variae sane curandi methodi in lucem prodierunt, neque mirum, cur tot anthelmintica saepe frustra adhibita sint. Similem enim sortem ab antiquissimis temporibus ad hodiernum usque diem quilibet morbi, aut quorum causa proxima latuit, aut quorum malignitati ratio frenum salutare inhibere nequiebat, aut quorum character et complicatio temere negligebantur, sortiti sunt. Quod antarthritica, et antiepileptica, paene totidem quidem remedia anthelmintica cum olim tum nunc ad sidera usque laudibus tolluntur. Confitendum tamen plus damni, quam commodi inde prosiluisse. Medici enim est rationem sequi,

eamque semper tutum experientiae stabilitae fulcrum contemplari, et tum demum, si ratio fallit, et causa morbi proxima fugit, a meditationibus recedere et factis solummodo confidere. At mehercle, haud ita raro ea remedia, ad quae injuria specificorum titulus translatus est, non propterea quia ratio simul sed quia experientia et mos commendant, quovis discrimine praeterito in usum vocantur. Hinc gravia sane damna afferri oportere, quis est, qui inficiatur! Ergo ex morbi varietate varietas curae et remediorum pendet; quae si negligis, nec ista specificorum series quatenus in organismum agat, cognitum habes, non te modo sed ipsum morbum in errores abducis. Accedit, quod alii morbi organismo penitus insiti, alii, quia habituales insanabiles nonnunquam existunt, quos curare, quorum characterem sapienter distinguere, quorum malignitatem benigne frenare, non exstinguere violente nostrum est.

Cura palliativa.

Haec symptomatum vim frangat, et secundum ea est accommodanda. Aut igitur lactea, mucilaginosa et oleosa, quae vermium desiderio satisfaciunt, eos alunt, et demulcent, aut alia quoque adhibenda sunt. Secundum symptomatum enim characterem agendum; et hinc iste antispasmodicorum usus pendet. Ex iis autem, quae sequentur, saepe radicalem curam cum palliativa convenire, saepe vero etiam arcta morbi notitia neglecta temere et imprudenter commutari luculente, credo patebit.

Cura radicalis.

Remedia huic fini destinata, vulgo distinguntur in anthelmintica mechanica, specifica, purgantia et drastica. At ejusmodi divisio quam maxime profecto mechanica a disciplinae nostrae dignitate tantopere abhorret, ut plane refutanda mihi videatur. Neque enim in morbi et remediorum natura et indole nititur, sed in phaenomenis non meditationum vinculo inter se connexis; est, ut brevibus dicam, mere symptomatica, nec a remediorum solum sed a morbi simul notitia distinctiore nos detinet. Incipiamus ab iis, quae mechanica audiunt, atque pauca de iis disseramus. Huc Limatura Stanni, et Ferri et Carbones lignorum in pulveris formam redacti vulgo referuntur. At praeter quam quod, simulatque in corpus nostrum transeunt, mechanicam indolem mutata amittunt, digeruntur, et resorbentur, virorum doctorum experientia aquam adeo, quae quamvis per se jam efficax cum stanno coquebatur, eosdem propemodum effectus anthelminticos edidisse aperte edocuit. Sapienter igitur Voigt Limaturam stanni et ferri ab organismo receptum oxydulari succi gastrici et enterici ope. Hinc sane efficaciam illam anthelminticam prosilire veritati quam maxime affine. Similia de carbone dicenda, eminet enim antiseptica et tonica in membranas mucosas vi. Mehercle ista divisio plane improbanda, atque si eam sequimur, experientia ratione destituta frustra fulcrum investigat, et claudicat. Hactenus de remediis mechanicis, progrediamur autem ad ea, quae specifica vulgo audiunt.

Series ista tot et tam diversa complectitur remedia, ut arctam inde evolvere notionem molestum sit. Tam diversa inter se discrepant indole, ut in unam classem conferre ineptum arbitrer, et hoc ipsum, quod tam copiosus horum remediorum numerus, singulis diffidendum esse probat. Nam ea tantum, quae plurimis sub conditionibus morbum quendam curare valent, nomen illud jure mereri mihi videntur. At enim hujus generis aut pauca aut plane nulla anthelmintica existere consentaneum, credo. Multa immo morbum augent, non tollunt, prout adhibentur, nec raro de frustranea anthelminticorum applicatione medici acerbe queruntur. Ne tamen modum excedere videamur, confiteamur ingenue oportet, multorum ex iis principia vermium vitae obstare, et hactenus specifice agere; amara, empyreumatica, olea graveolentia, acida, salina, acria et tonica huc referenda. At saepius eo, quod varie simul in varia corporis systemata agunt, aeque morbum delent ac vermes. Etenim alia, praeterquam quod taediosa, alvum simul laxant, et mucum vitiosum excernunt, alia tonum simul augent, alia denique aliter. Haec de specificis anthelminticis, jam sat. Divisione tam symptomatica plane rejecta, alia procedendi methodus, quam ratio et experientia alternatim sibi succurrentes jubent, praestantior mihi visa est. Composui remedia, prout eorum indoles et principia, simul effectibus anthelminticis computatis, neque unquam in rerum causas inquirere omisi. Ad varias morbi formas et complicationes varia quoque remedia adhibenda, et mitius ideo fortiori saepe praestare ex iis, quae sequuntur

facillime, credo, cognoscetur. Principem locum ea, quae vulgo nervinis aut excitantibus adnumerantur, atque ob oleum graveolens, aut empyreumaticum, vermibus tam exosum hos fere effectus edunt, obtineant. Praeterquam quod excitant vasa sanguifera, eorum tonum vegetationemque vitiosam coërcent, etiam symptomata morbi simul nervosa egregie prosternunt, ita ut ex eorum usu saluberrimi paulatim eventus prosiliant. Non injuria igitur, cum vermium origo seu nervorum seu vasorum sanguiferorum debilitati debetur, tum potissimum applicanda erunt. Infantibus inde et feminis aptissima. Quod ad effectuum gradum et qualitatem, singula inter se discrepant, alia vermes tantum minores, alia Taeniam adeo infestant et enervant. Paucis oleum aethereum inest, quapropter eorum vires anthelminticae minoris aestimandae sunt. Huc spectant oleum animale Dippelii, Petroleum, oleum Cajeput, radix Valerianae, flores Chamomillae, semen Carvi, Anisi, Foeniculi, herba Menthae piperitae et alia. Ea, quorum vires ob oleum aethereum magis carminativae quam anthelminticae, curae satisfaciunt palliativae potius quam radicali. Singula paullo uberius recenseamus et primum quidem oleum animali Dippelii. Continet vehemens oleum athereo-empyreumaticum, ganglia prae ceteris occupat et eorum torporem sanat, simul spasmos vero etiam ex hoc fonte oriundos seu hystericos seu alius generis supprimit. Hinc fit, ut muci vitiosi secretionem rite coerceat et resorptionis vim restauret. Oleum animale foetidum huic non multum absimile et quoad principia et quoad

effectus. At, ne nimis vasa excitet, cavendum. Etiam Petrolei principia maximam partem cum oleo Dippelii congruunt, et quamquam similiter agit, tamen nimis excitat, et congestiones facile procreat.

Camphora et Valeriana, quamquam oleo carent empyreumatico, tamen, cum eorum principium oleum althereum et graveolens sit, saluberrimis viribus excellunt. Enervant vermium vitam, et fortiter symptomatum dolentium impetum seu interne seu externe applicata frangunt. Paullo mitius oleum Cajeput. Chamomilla autem et cetera carminativa minimam in verminationem vim edunt. Jam ad balsamica pregrediamur. Sunt Asa foetida et oleum Terebinthinae. Quodsi in eorum principia inquirimus effectusque computamus, arctissimam cum empyreumaticis affinitatem intercedere negari nequit. Sunt quidem, qui ex eorum principio empyreumatico vim anthelminticam maxime pendere affirment; at veritas in medio. Quamquam enim ejus efficacia abnegari nequit, balsamicam tamen vim aequaliter succurrere confitendum. Haec scilicet in nervos splanchnicos, in vasa sanguifera et tunicas mucosas efficacissima functiones in normam restituit et sustentat. Asa foetida quidem multum ab oleo Terebinthinae distat, quia maxime nervos tentat; et felicissimo cum eventu verminationem nervosam coercuit. Taeniae tamen internecioni impar. Longe alia de Terebinthina, quippe quod oleum acri simul principio gaudeat, et secretiones maxime foveat. Licet jam saepius Taeniam ex corpore expulerit, tamen caute adhibendum, ne noxias experiamur seque-

las. Individuis phlegmaticis et torpidis optime convenit. Oleum Juniperi non multum ab eo recedit.

His ea adnectantur, quae praeterquam quod ob principium amarum digestionem et chylificationem laesam emendant, ob oleum inter graveolens et empyreumaticum medium tenens morbosum nervorum statum tollunt, membranarum mucosarum functionem restituunt, vermes enervant et enecare adeo valent. Inde autem, quod plerumque paullatim, non violente morbum coercent, saepius Ascarides quam Taeniam infestant et ad aetatem infantilem aptius se accommodant. Irritant autem et congestiones, si qua instant, multum augent. Radix filicis principem sibi locum vindicat. Mas contra taeniam salutarior, femina contra Ascarides. (Oleum Peschieri.) Vehementer et pertinaciter vermes impugnat, saepeque variis methodis antitaeniosis adjungitur, frequens vero etiam cum Helmintochorto compositio. Semen Cinae, quod infantibus potissimum conducit, frequenter cum Jalappa, Aloe, Calomelane, Camphora, Ipecacuanha componitur (Electuarium compositum Stoerkii).

Tanacetum vulgare: Semen nervos fortius afficit quam semen Cinae, ideoque verminationem nervosam egregie interdum curare valet.

Summitates Absynthii et radix Artemisiae vulgaris hinc non multum discrepant, maximeque epilepsiae infantum verminosae medentur. Jam vero acria sequuntur. Etsi singulae eorum species manifesta inter se discrimina statuunt, tamen in universum congruunt. Vasa lymphatica afficiunt, digestio-

nem et chylificationem emendant, secretiones normaliter sustentant, resorptionem augent, torporem et succorum stagnationem tollunt, mucumque egregie incidunt.

Neque vero momentaneos eorum affectus silentio praetereamus; simulatque ingeruntur in organismum, irritant nervos, augent motum peristalticum, calorem gignunt. Nec minoris momenti usus eorum externus; experientia enim huic aliquam saltem vermes penitus necandi facultatem attribuendam esse probavit.

Acria igitur procul dubio vermes enervare et enecare, morbum egregie supprimere valere et summa cum virium intentione contra causam proximam tendere hinc eluceat. Ratio tamen habenda eorum usum continentem facilem debilitati indirectae ansam largiri et nocere. Abstinendum igitur, si aegri debilitas praevalet. Distinguendum simul etiam, qualis sit aegri conditio quum vis eorum irritans plethoricis et sthenicis facile noxia sit ad torpidorum autem et phlegmaticorum salutem plurimum procul dubio conferat. Hinc causae repetendae mihi videntur, cur tanta eorum contra Taeniam efficacia ab aliis tanquam fallax et noxia respuatur, ab aliis praedicetur, et ceteris antitaeniosis praeferatur.

Folia Nicotianae. Quod remedium vermes necat, et dum alvum purgat. expellit. Contra Ascarides efficax. Cavendum autem ne nervos paralytice afficiat, unde dosis caute limitanda.

Helleborus et Gratiola vehementer tubum irritant, et alvum laxant, simul autem gangliorum ener-

giam sustentant; qua de re verminitioni hystericae et hypochondricae efficacissime adversantur. Semen Sabadillae, quod cum Helleboro albo maxime congruit, violentius corrodit quidem, et hanc ipsam ob causam cujusvis generis vermes facilius enecat. Neque multum vero cortex Geoffroyae hinc abhorret, eosdem fere effectus et in organismum et in vermium internecionem edit.

Oleum Crotonis ex seminibus vehementissime erodentibus expressum; praeterquam quod summam in tubum intestinalem vim exhibet, torporem exstinguit, vermes necat, et, quod alvum laxat, expellit. Quodsi horum effectuum vehementiam respicimus, cur plerumquc taeniam interimere valeat, profecto non mirum videbitur. Etiam usus ejus endermaticus vim anthelminticam et purgantem egregie probavit. Olei Ricini, quod alii drasticum alii mite purgare arbitrantur, duas esse species verisimile. Ejus vires anthelminticae unicuique cognitae. Jam vero ad acria drastica transire liceat; vehementissime colon tentant, nervos atque vasa abdorminalia mirum quantum irritant, fortiter simul laxant. In ceteras eorum vires eadem valent, quae supra de acribus in universum disseruimus.

Ex quibus Gummi Guttae principem obtineat locum. Venenum acerrimum, nisi caute et apte applicatur, in organismum agit, perniciemque ei minari experientia affirmat. Usus ejus caute limitandus igitur, et cum torpor viscerum jam insignem adscendit gradum, tum demum legitimus. Vis ejus maxime drastica, unde Taeniae potissimum enervandae et

expellendae par. Saepe cum Calomelane vel Vitriolo Ferri componitur. Distinguendum autem, qualis sit morbi character et aegri conditio, inquirendum simul, num curae eventus qui morbum penitus exstinguere debebat palliativus potius sit, ne frustra vel nocenter imo agamus, eo quod quamquam Taeniam quidem expellere contigit, morbum tamen temere pejeramus. Poma Colocynthidum ejusdem propemodum indolis et efficaciae. Ne igitur ea, quae jam alibi exposita invenies, repetantur, ad alia pergamus. Radix Jalappae. Ejus principium acre mitius organismum tentat, unde vis drastica benignior. Vasa autem vehementer irritat. Taeniae impar, contra Ascarides egregie efficax, et cur atque qnatenus, addere supervacaneum. Nam ex iis, quae de remediorum viribus universis praemittimus, non solum cur et quomodo contra morbum et vermes tendant, sed etiam cur minores non Taeniam, rite impugnent, patebit, Folia Sennae, quae amarum et resolvens principium continent, Rheo affinia essent, nisi acri simul vi gauderent. Tormina ventris saepe ab eorum usu oriuntur, praecipue si individua erethica. Ceterum vis anthelmintica eadem; ergo ad alia. Aloë quod pariter principium amarum et resolvens continet et acri propemodum caret, efficaciam balsamicae praecipue indoli debet; hinc fit ut egregie vasa sangnifera coli potissimum irritet. Quo major ejus dosis, eo luculentior ejus effectus. Diuturnus autem usus debilitatem et torporem auget, et pristinam tollit medelam. Radix Scillae praeter vim duireticum membranarum mucosarum functionem redintegrat, resolvit et incidit

mucum. Optime vero infantibus, et verminitioni cum statu pituitoso complicitae convenit. Efficacior quidem sed ceteroquin similis Colchici ratio est, et quamquam contra Taeniam adeo adhibitum esse scimus, certa tamen de eo documenta desiderantur. His adnectantur ea acria, quibus oleum simul aethereum et graveolens vermibus non minus infestum in est. A ceteris autem eo, quod vasa potius, quam nervos tentant, discrepant, unde tanquam antiscorbutica praedicantur. Abusus aeque nocet. Eorum in vermes minores vis egregia, unde infantili aetati maxime falutaris. Huc spectant sinapis, radix Allii, radix Armoraciae, radix Cepae. Haec de acrium indole anthelmintica sufficiant, pauca de salibus et resolventibus addantur. Praeterquam quod magnum vermibus taedium afferunt, morbum quoque curant, eo quod muci secretionem emendant, integram resorptionem fovent, alvum laxant, vermesque expellunt. Debilitatem autem et laxitatem facile augent, potissimum si diutius adhibentur. Hinc argumentum requirendum, cur quamquam robustorum et plethoricorum summae inserviunt saluti, individuis tamen debilitatis et laxis, vehementer noceant. Ceterum Taeniam plerumque non perdunt; quia purgantia, non drastica sunt. Sal Glauberi, sal Ammoniacum, sal amarum huc maxime spectant. Ex remediis autem resolventibus Calomel principatum tenet, cujus vires egregie anthelminticae ex universa ratione maxime autem ex mira et in vasorum lymphaticorum resorptionem saluberrima vi elucent; accedit autem, quod metallica indoles vermibus prae ceteris adversatur.

Antimonii praeparata quaedam ab eo parum differunt; potissimum vero Sulphur auratum et Tartarus stibiatus. Etenim et vermes et morbum verminosum exstinguere valent, quamquam Taeniam rarius. Simili modo etiam Sulphur agit. Ut autem Salina ita etiam acida vermibus exosa; nihiloscius ab eorum usu, quia facillime digestioni obstant, abstinendum. parca dosis parum juvat larga multum nocet. At, ne nimis copiosus fiam, ad tonica progrediamur, et ea recenseamus. Voigt distinguit in balsamica, amara et adstringentia. China, Angustura, Millefolium et alia Balsamicis adnumerantur. Haec quidem roborant, alvi secretiones coercent, et obstruunt adeo, sed, quoniam initio curae vermes maxime impugnandi sunt, ideoque purgandi methodus optime convenit, tum demum, si chylificationis vitia ex atonia et laxitate nata permanent, in usum vocanda sunt. Hinc autem tonica amara plane discerni debent. Etenim licet ne haec quidem cuivis conditioni adaptanda sint, et alvi purgatio antecedat semper necesse sit, tamen, quod amarum eorum principium vermibus tam taediosum, praevalet, saluberrimas interdum vires praesertim, si alternatim praebentur, ediderunt. De amaris anthelminticis jam supra dictum. Amara resolventia non solum quod amara sunt et tonum augent, et digistionis atque chylificationis vitia corrigunt, sed quod secretiones simul fovent et in normam restituunt, cum causam morbi verminosi proximam tum hunc ipsum tollere valent. Accedit, quod mitior eorum efficacia corpori plus prodest, et morbum, quamquam paulatim, tamen radicaliter curat.

Inde vero etiam fit, ut saepe curae adjumento inserviant, et remediis vehementioribus adjiciantur. Huc referas Rheum, Bilem, Bovinam, Taraxacum, Cichoreum, Senegam, radicem Graminis, Saponariae et Carbonem lignorum. Quod autem ad amara pura, ad quae Quassia, Gentiana rubra, Carduus benedictus, Trifolium fibrinum et alia pertinent, haec quidem egregie vermium vitam enervant, eosque necant adeo; at quando juvent et noceant, ex iis, quae ante diximus, patet. Hactenus de amaris, jam adstringentia consideremus, quae Voigt in adstringentia mera et amara, in adstringentia resolventia et diaphoretica, in adstringentia aethereo oleosa et acida denique distinxit. Prius autem ferri mentionem inserere nobis liceat. Est enim metallum tonicum et amarum, et advires medicatrices exhibendas, ut bene ab organismo digeratur, requirit. Quodsi contigit, tonum auget, et roborat, resorptionis vim confirmat; sin minus, vehementer nocet. Providendum etiam, ne individuis erethicis, plethoricis, enervatis quorum quidem digestio magnopere perturbata sit praebeatur. Hinc vires ejus anthelminticae pendent, vermitioni magis idoneae quam vermibus expellendis. Vitriolum Martis, quod vehementius agit, saepeque aliis ut Jalappae, radici Filicis, cortici Chinae, Valerianae adjicitur, et Limatura Martis plerumque usurpantur. De Limaturae efficia quam multi mechanicam judicant jam alibi sermo fuit. Quando ceterum ejus usus requiratur, addere supervacaneum; quia ex iis quae de tonicis in universum disserui, et ad ferrum et ad adstringentia, quae nunc sequuntur, referenda

sunt. Fx meris adstringentibus cortex radicis Granati vi anthelmintica prae ceteris eminet, nec ita raro Taeniae vitam felicissime exstinxit; hujus autem corticis ratio, cui diversi affectus attribuuntur, ex diversa patriae et atmosphaerae ratione pendent. Indicus, Lusitanus et Italicus praestantissimi feruntur, principium inodorum taeniae letale inest et praevalet. Dosis major requiritur, unde saepe tormina ventris, nausea, vomitus insequuntur; quae utrum principio isti, an effectui inflammatorio, an taeniae denique adscribenda sint, ambigendum. Ex adstringentibus resolventibus principem locum obtineat putamen nucum Inglandis, quippe quod acri simul materia emineat, Ex eo oleum saepe taeniae letiferum paratur; extractum minoris quamquam efficaciae tamen optimo cum fructu aliis anthelminticis adjicitur. Ne autem diutius commoremur, vim aquae Calcariae statim adnectamus. Neque enim adstringit, sed resorptionem sustentat, secretiones abnormes supprimit, chylificationem vitiosam emendat. Difficillime autem ob indolem metallicam digeritur; at si demum contigit, praeter haec commoda, quae exposuimus, nervorum simul erethismum coercere valet. Hinc ejus egregios in verminationem cum erethismo complicitam effectus facile cognoscas; Reliquum est, ut pauca de antispasmodicis etiam seu nervino-alterantibus, quatenus verminationi medentur, addamus. Haec enim series functiones vegetativas et ganglia tentant, morbosas resorbendi et secernendi functiones egregie corrigunt et tonum restitunt. Huc spectant Ipecacuanha, cujus principium

acre vermibus letiferum adeo, Zincum et Stannum quorum indoles metallica simul juvat. Infantili aetati et feminis hystericis aptisssima saepe simul curae palliativae inserviunt. Hactenus de anthelminticorum similitudine et discrimine, de usu et abusu. Quae omisi, ea aut nondum stabilita aut plane si milia aut denique plane obsoleta. Juvant vero etiam vomitus, balnea, parca diaeta, mundities et alia. At quid de his, quippe quorum effectus anthelmintici tam manifesti sint, latius disseram! Neque enim propterea, quod vermes impugnant, sed quod totum organismum percutiunt, salutem afferunt et morbum curant. Adjuvant itaque ceterorum remediorum effectus. Jam sat! Demonstrasse suffici at divisionem vulgarem a morbi et remediorum cognitione nos avertere, et insidias nobis struere, quas sagacissimus vix evitat; qui istam viam ingreditur, symptomata curat, non morbum.

Nosmet autem, qui quidem mance et justo brevius rem exposuerimus, et multorum graviumque peccatorum quia novam atque insolitam disserendi viam ingredi ausi sumus, nos convictum iri divinemus, quamvis lectorum benevolorum indulgentiae spe erecti tamen ingenii facultatibus destituti non sine metu et pavore hasce pagellas virorum doctissimorum judicio commissas esse ingenue confitemur.

CURRICULUM VITAE.

Ego Marcus Baschwitius, Francofurthi ad Viadrum anno 1807 natus, et vetere in fide perseverans, patris Laevini, et matris Minnae vita integra gaudeo. Primis literarum rudimentis privatim imbutus Gymnasium Fridericum Guilelmum adii. In quo quum decennium versatus, rectore praeclarissimo Dr. Poppo humaniora tractassem, anno MDCCCXXVIII. mense Aprili maturitatis testimonio acquisito in hac Universitate Friderica Guilelma civium academicorum numero legitime adscriptus sum Ill. Bethmann — Hollweg fasces tum tenente. Ab hoc inde tempore

his lectionibus interfui; Ill. Heyse de arte poetica, Ill. Beneke et Ill. Henning de Logice, Ill. Michelet de Aristotelis Nicomacheis, Ill. Ritter de Platonis philosophia, Ill. Weifs de Mineralogia, Ill. Hermbstaedt de Physice et Pharmacia, Ill. Ermann de Physice, Ill. Hayne de Botanice, Ill. Mitscherlich de introductione in chemiam, de Zoochemia et Chemia, Ill. Rose de exploratione venenorum, Ill. Rudolphi de Encyclopaedia medica, de anatomia universa, de sensibus, də anatomia comparativa, de physiologia, Ill. Knape de osteologia et syndesmologia. Utrique viri praeclarissimi arte cadavera rite dissecandi in theatro anatomico per duo semestria me instituere. Ill. Brandt et Ratzeburg de historia universali et Pharmacologia. Ill. Wagner de Pathologia et Therapia universali, Ill. Hecker de Pathologia et Therapia speciali, Ill. Horn de Syphilide, Ill. Casper de arte formulas rite concinnandi, Ill. Osann de Materia medica, Ill. Cacper de morbis infantum; Ill. Rust de Chirurgia. Institutionibus denique clinicis medicis et chirurgicis Ill. Wolf et Bartels, Ill. Rust, Ill. Graefe, Ill Juengken tam auscultando, quam aegrorum curam suscipiendo haud defui.

Jam vero tentamine philosophico et medico, et examine rigoroso absoluto fore spero, ut dissertatione hac defensa per decanum summe spectabilem Gratiosus Medicorum ordo summos in medicina et chirurgia honores rite in me conferat.

THESES DEFENDENDAE

1) *Peccat medicus, qui, quo natura vergit, eo semper tendit.*

2) *Exanthemata acuta nonnisi symptomatica.*

3) *Contagium volatile, quo magis extenditur, eo propius ad miasmatis naturam accedit.*

4) *Cholera asiatica medium inter contagium et miasma tenet.*

5) *Somnus post coenam modo salutaris, modo noxius.*

6) *Lepra, syphilis et scrophulosis morbi sibi affines.*

7) *Plerique morbi psychici ex corpore non ex animo prodeunt.*

8) *Typus intermittens morbis nervosis peculiaris.*

9) *Remedium contra Choleram specificum existere posse, a veritate non abhorret.*